



14

EPISTULA SUMMI PONTIFICIS PAULI VI

*Ad em.mum P. D. Eugenium card. Tisserant
Praesidem Consilii Praesidentiae Ss. Concilii*

Certiores facti sumus, nonnullis Patribus Conciliaribus id in animo esse, ut in proximis Concilii coetibus quaestionem de caelibatu clericorum Ecclesiae Latinae ponant, utrum scilicet lex illa servanda sit necne, quae caelibatum cum sacerdotio quodammodo coniungit.

Qua de re, quin libertatem ullo modo laedamus, qua Patres fruuntur suam patefaciendi sententiam, optamus tamen ad eorum notitiam perferatur, Nos in ea esse opinione, nequaquam expedire, publicam haberi disceptationem circa rem, quae et tantam postulat prudentiam et tanti ponderis est; itemque Nobis esse propositum, quantum in Nobis erit, non tantum huiusmodi legem antiquam, sacram, providamque servare, sed eius etiam corroborare observantiam, sacerdotes Ecclesiae Latinae ad conscientiam revocantes causarum rationumque, quae hodie, immo hodie quam maxime, efficiunt, ut lex ipsa ab omnibus tamquam perapta significatio habeatur, et plene seipsos Christo eiusque solius amoris sacra- visse, et totos se addixisse Ecclesiae hominumque animis solummodo serviendis.

Quodsi Patrum Conciliarium unus vel alter necessarium putet, potiusquam publice dicendo, scriptis peculiarem de hac re sententiam aperire, scriptionem suam ad Concilii Praesidentiam mittere poterit, cui sane curae erit eandem Nostrae notitiae tradere; Nos vero Nostrum esse existimabimus eam attento animo coram Deo perpendere.

Ex Aedibus Vaticanis, die x mensis Octobris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI